

BEATISSIME PATER,

Ludovicus Molina, humillimus Sanctitatis Vestre Orator, exponit, quatenus esset jam annus cum dimidio, ex quo supplices Sanctitati Vestre litteras dedit, Libellumque huic Sacre Congregationi, ut si aliquid in suo Libro notatum esset, dignaretur Vestra Sanctitas efficere, ut Censuræ exemplar illi concederetur, scilicet, ut possit respondere, de se defendere. Et quoniam, ut ad ejus notitiam venit, nonnulli in Hispania, & alibi sparserunt in vulgus, ejus Librum esse Censuris notatum, iterum suppliciter a Vestra Sanctitate petit idem, quod antea, ut ipsi detur exemplar eorum verum, quæ in ejus Libro notatæ fuerint: sperans, benignitatem Sanctitatis Vestre non permissuram, ut in hac causa procedatur, absque eo quod ille, qui est pars, possit audiri. Sic enim fiduciam habet in Domino Deo, se posse omnibus satisfacere, de singulis afferens rationem, sicut atulit, & satisfecit in generali Inquisitione Lusitanæ, in cujus consilio alias hæc causa agitata est, & in ejus favorem Doctissimorum Theologorum examine judicata. Idque a Sanctitate Vestra habebit pro singulari gratia, quam Deus divitissime servet incolorem.

Has Molinæ supplicationes nauci fecit Pontifex Maximus, quod delegatos Procuratores audisset non semel, & curatas ab iis Molinianæ Doctrinæ defensionem legisse numero plures; nullaque jura postulant, scriptorem per sese audiri, ut in librum censuræ distringi queat; cum sit ipse auctoris sui exarata vox, sensuumque testificatio. Quapropter qui Romæ liti aderant, specioso quæsto diverticulo, Sanctitati ejus supplicarunt, ut antequam Judicium Congregationis prodiret in publicum, sibi coram arbitris tantum cum FF. Prædicatoribus conferre liceret; num forte, semoto juris strepitu, ad concordiam mutuis colloquiis revocarentur. „ Fieri etenim possent, inquebant, ut solo explicandi modo differrent; ne ipsa vero dogmatibus convenirent: „ quo casu concordia facile iniretur, dimissis „ damnatisque privatis quibusve auctoribus, si „ quæ forte perverfa docuissent “. Addiderunt rem observatione dignissimam: Se scilicet nec de Molina agere, nec doctrinam ejus tueri; sed de Gratia duntaxat efficacia differere velle.

Votis annuit Sanctissimus Pontifex, concessitque novum examen pacificæ collationis. Arbitrum dedit Eminentissimum Cardinalem Madrutium; cui non multo post addidit Cardinales Asculanum, & Bellarminum; illum quidem ex Ordine Prædicatorum; itum e Societate non ita pridem assumptum.

Iis Arbitris convenerunt Prædicatores, & Jesuitæ a die 22. Februarii 1599. usque ad 16. Maii. Tum usque ad anni finem, scriptis ultro, citroque datis, utriusque Scholæ sensus de Divina Gratia explicarunt. Prædicatorum causam iis in Congressibus sustinuerunt Hippolytus Maria Beccaria, Magister Ordinis, & Procurator Generalis, cum duobus Theologis, F. Didaco Altare, & Raphaelæ a Ripa: Societatis causam egerunt Claudius Aquaviva, Præpositus generalis, & Michael Vasques, cum duobus Theologis, Christophoro Cobos, & Petro Arrubal.

Futurum sperabat Beatissimus Pater, ut, sepositis disputationum contentioibus, ad doctrinæ concordiam revocarantur. At res longe aliter cessit: Tot enim mutuis collationibus, & scriptis, hinc inde datis, solum innouit, quid utriusque hoc de argumento sentirent, nec tamen ulla inita concordia est.

J. Martinem de Ripalda hoc maxime loco mirari licet; qui ut omnem subdole machinationis suspicionem in hujusmodi Collationis petitione a suis amoveat, illam non Societatis precibus extortam, sed a Summo Pontifice propria sponte indicatam significat. (1) Hujusmodi Scriptoris fragmenta sua, contra fidem Actorum, venditantibus, credit quisquis sibi palam illudi volet. Cum Patres Societatis, inquit e contra Secretarius, cognovissent, rem esse penes absolutam, tantumque expectari Apostolicam designationem, & Censuræ confirmationem; apud Sanctissimum Pontificem egerunt, ut, antequam Censura in vulgus prodiret, permitteret, ut, absentibus Censuris, cum Patribus Prædicatoribus, præsentibus arbitris, suam conferrent sententiam &c.

Quæ fuerint Societatis consilia, novum istud mutuum collationis examen postulantis, probavit eventus. Primum, illudque potissimum fuit, ut interim tempus duceret, lateaque Censuræ promulgationem studiosa procrastinatione declinaret, Alterum, ut, consopita Molinæ causa, controversiæ statum inverteret, & Prædicatores, si fieri posset, in jus vocaret. Tædebat scilicet Molinæ vindices, accusatorum personam sustinere, eamque, tentatis in adversarios accusationibus, immutare moliebantur. Hinc de Molina silendum, & de sola Gratia efficacia differendum, rogabant: num forte mutua vicem rependere, & injecta in Prædicatores accusatione, evadere possent. Id in primis congressibus, quorum historiam sequenti capite dabimus, potissimum comprobatum est. At prudentiores fuerunt Prædicatores, quam ut sibi fucam fieri paterentur: Qui licet de Divinæ Gratia efficacia differere non renuerent, Molinæ tamen causam, cujus occasione mota lis erat, prætermittam omnino noluerunt. Noverant etenim, Molinam iis in capitibus prædamnam, quæ toti erant Societati communia; illumque propterea nunquam a Societate dimissum iri (uti nec re ipsa dimissus est) quidquid tandem viri industrii sicte adpromitterent. Nec magis latebat eos, Jesuitas, quæ tempore in congressibus Molinæ partes deterrere velle simulabant, easdem occulte apud Summum Pontificem promovere tentasse, exhibitis Sanctitati Sææ Novatoris hujus Epistolis, & Civitate Concheni datis die 20. Septembris anni superioris; quibus doctrinam suam, sanam, irreprehensibilem sacrisque Conciliis, ac Patribus maxime consonam affirmabat. (2) Quibus tamen uno verbo responsum erat, non ex subobscuris Epistolis, sed ex libris de Molinianæ doctrinæ sensu fore judicandum.

Verum nihil unquam in hæc mutui colloquii tractatione obliquas Societatis artes probavit magis, quam quæ adversus Prædicatorum doctrinam scripta clanculum ediderunt, ut, translata in actores ipsos accusatione, controversæ liti statum inverterent. Scriptum anno 1599. composuere, sub hoc titulo, *Consultatio cujusdam sententia falsæ de efficacia Divinæ Gratia*: (3) in quo, tacitis tum Scholæ, tum Actorum nominibus, sententiam de Gratia per se efficaci, larvate omnino, ac fraudulenter expositam decem capitibus, ut erroneam, & hereticam impugnant. Subscripserunt in hunc modum: Nos *infra scripti, Theologi Societatis Jesu Romæ existimamus, sententiam in initio hujus Scripti positam, & in eadem Scripto consutatam, multipliciter repugnare doctrinæ sanæ; neque esse in Ecclesiæ tolerandam.*

MICHAEL VASQUES.
PETRUS ARRUBAL.

BENE-

BENEDICTUS PERERUS.
MUTIUS VITELLESUS.
CHRISTOPHORUS COBOS.
BERNARDINUS ROSIGNOLIUS.
BARTHOLOMÆUS PERES.
JOANNES AZORIUS.
GREGORIUS DE VALENTIA.
BENEDICTUS JUSTINIANUS.

Erat hæc, uti obtendebant, solemnibus Scholæ Thomisticæ accusatio, ad supremum Ecclesiæ Tribunal propediem deferenda.

Utque ante annos aliquot (1) non ita unctum caput extulerant ex Hispaniarum Academicarum Consultatione, a quibus Molinismus Pelagianismi notatus erat; Germanicas obscuri nominis Academiæ in auxilium invocantur, quæ edito Scripto calculos adederunt: ut hæc arte committerentur variarum nationum Academicæ, & Jove in Trojam pugnante, pro Troja staret Apollo. Academiæ igitur Ingolstadtensem, Græcensem, Dilingam, Wirceburgensem, Moguntinam, Trevirensensem, Viennemensem ac etiam Mustipontanam occuparunt, quæ transmissim lucubrationem editis suffragiis comprobarent. Academicæ dixerunt, an verius Societatis ipsius publicas Scholæ, quibus scilicet præstant, ubi Cathedras moderantur, Theologicos gradus dispensant, omnia pro nutu, & imperio agunt? Id saltem exploratum nobis, quod fufus lib. 4. c. 18. exsequemur, Theologorum scilicet, qui iis scholarum iudicis subscribere, partem quadruplo majorem Jesuitas fuisse; qui dissimulata in singulis Religiose Professione, sub honesto Academicarum titulo sapientes, domesticæ causæ iudicium affectabant.

Hanc tamen cautionem suffragiis suis addiderant qualescumque illæ Academicæ. „ Ut sicut „ relata, & consultata eo Scripto sententia, nude „ omnino, nullique vel Auditoribus, vel Defensoribus designatis, exponeretur; ita & nudam „ illam improbarent, prout hic referebatur, & re „ futabatur. „ Noverant enim, non abimili Pelagianorum arte olim deludos Pontifices; meruebantque, ne quemadmodum illi hæreticos sub dolosis expostulationibus abolverant, Catholicos ipsi eadem fraude damnarent.

Hanc Jesuitarum lucubrationem, jubente Summo Pontifice, examinavit Cardinalis Madrutius; qui ut olim in Concilio federat, dignus præ cæteris litis hujus arbiter habebatur. Judicium suum notis marginalibus exposuit, quas inter alios ipsius Codices manuscriptorum videre est in Angelica Augustinianum Bibliotheca. Observat in primis Vir Eminentissimus, Patres Societatis Prædicatorum doctrinam adulterasse; Physicam Prædeterminationem longe aliter exposuisse, quam a Banneffio, cæterisque Thomistis exponatur, ac propugnatur; illorum sensu in multis captiose retulisse; multaque inquisisse a Prædicatorum mente remotissima. Tum tertium Scripti hujus paragraphum expendens, ubi ex Concilio Tridentini decretis, Thomistarum, & Calvinistarum consonantiam demonstrare Jesuitæ fatigabant, ostendit, novos illos Angelicæ Scholæ Ofiores a germano Concilii sensu toto celo aberrasse, omniaque in alienum sensum præpostere detorsisse.

Non obsuit tamen tanti Viri Censura, quominus istud idem Scriptum anno 1606. coram Paulo V. iterum proferret, uti probatissimum Molinianæ causæ instrumentum. (2) At nec tunc quidem feliciorum sortem habuit. Ad examen per deputatos Censores denuo vocatum est. Censuerunt Viri Judices, captiosum illud, ac fallax omnino esse, ad extorquenda imprudentum

suffragia dextere compositum; Scholæ Thomisticæ doctrinam alienis plane coloribus adumbrare; nec idcirco mirandum, si tot ei Viri Theologi subscripissent: Quorum etiam pars maxima, utpote Societatem professæ, ferendi hac occasione iudicii jure deciderat.

Hoc ergo Censuras inter discrimen immensum a Romanis Judicibus statutum est: nempe, quæ vel jubente Pontifice, vel Hispaniarum Generali Quæsitore rogante, ab Academicis, Episcopis, ac Theologis data fuerant, summo in pretio habebantur; utpote quæ secundum juris formulas, & a Viris ab ipso causæ Judge selectis, ac partium studio solutis, adornatæ censentur: Quæ vero, parte altera rogante, movente, supplicante, ac per secretas machinationes, & artes urgente, late sunt, parvi, ac verius nihili habebantur. Ex quibus profecto videas, quam improbo titulo, eo de Academicarum istarum suffragio, occultis Societatis artibus extorto, gloriatur Theologus Rothomagensis in Thesibus, cujus nulla apud Romanos Judices ratio est habita.

Nec haberi vero potest, si qua fides; cum totum, aut certe maxima ex parte, penes Jesuitarum, quorum res agebatur, suffragationem steterit. Hos quippe si demas, tot forte Scholæ Thomisticæ minus propitios censors invenies, quot *Thebarum portas, & divitis ostia Nilii*. Sed de his plenius lib. 4. cap. 18.

Cæterum, quod præsentis instituti est, tot illæ machinationes, ac strophæ plus æquo probant, eo duntaxat sine novum illud mutuum collationis examen a Societate postularum esse, ut & late sententiæ promulgationem averteret, & controversiæ statum, nova in AGores ipsos injecta accusatione, immutaret. An vero votis facta responderint, subiecta ipsius Collationis Acta ostendunt; non illa quidem a Secretario Coronello adornata, qui uti conventibus istis non interfuit, ita nec acta conscripsit; sed ex Cardinalis Madrutii, qui conventuum Arbitræ fedit, Originalibus Manuscriptis, aliisque documentis, summa fide petita.

Dabunt porro veniam eruditi, si hujusce Collationis Acta paulo fufus proferamus. Voluit hoc tuendæ veritatis necessitas adversus inauditas Ripaldæ depravationes, qui licet ubique plurimum insoleat, in hac potissimum historice parte audacius in Prædicatores effunditur, suisque gratificatur, ac plaudit. (3) Prædicatores remtere fugillat, quod de Gratia per se efficaci statim tractare noluerint, omiffa Molinæ causa. Eosdem domesticam de Gratia physice prædeterminationem longe aliter exposuisse, ait; peregrinas quaestiones, neglectis germanis, tractandas dedisse; circuitus, diverticula, morasque tenasse; conventus istos, probata Jesuitarum confessione, solvere voluisse: Jesuitas e contra bona in omnibus fide egisse; sensusque suos illico, clare, dilucide, sine strophis, & artibus explicasse. Quo pudore, qua fronte, qua veri specie, tot illa inruditis venditavit, boni quique judicabunt.

CAPUT V.

Priora novi hujus Examinis, seu reveris collationis Acta breviter recensentur. Quid sex prioribus Congregationibus tractatum pro aperienda utriusque Scholæ sententia.

Prima Congregatio, eademque prima Collatio partium, die 22. Februarii 1599. celebrata est. Convenerunt coram Cardinali Ludovico Madru-

(1) Disp. 113. sect. 10. num. 64. (2) Henao de Scient. Med. prot. 2. (3) Exstat in Coll. Coron. Lem. & Pegna.

(1) Lib. 1. cap. 23. (2) Lib. 4. cap. 15. (3) Lib. 5. disp. 113. sect. 11.

dratio utriusque partis selecti Viri. Ex Ordine Prædicatore Reverendissimus P. Generalis, cum Procuratore Generali, nec non P. M. Didacus Alvarez, & P. M. Raphael a Ripa: ex Societate vero Reverendus P. Præpositus Generalis, cum Reverendo P. Michael Vasques, necnon Christophorus Cobos, & Petrus Arubal. Summi Pontificis mentem brevi sermone exposuit Cardinalis Madrucci; dolorem ex enatis, auctisque in dies controversiis præconceptum; ardentissimum componendæ pacis studium; antiquæ doctrinæ faciendæ desiderium. Addidit duriorum remedium interminationem, nisi amica collatione dissidia, in causa fidei suborta, componerentur. Tum demum Generali Ordinis Prædicatorum inquit, ut diceret.

Respondit Reverendissimus Pater, nihil sibi, totique Ordini suo cum universa Societate, sed cum Ludovico Molina, ejusque doctrinæ defensoribus; contra quos Hispaniæ Provincia coram Inquisitoribus exposulaverat; nec se quidem satis existimare, Societatem universam unius hujus Viri doctrinæ mancipari, eamve ex condico tueri velle. Illius examen institui rogavit, an posset aliquo probabilitatis jure defendi; seque, totumque Ordinem suum judicio obsecuratum, spondit. Subjuxit, Prædicatores, tenendæ S. Thomæ doctrinæ adstrictos, nullam cum Societate concordiam habituros, nisi eandem illam tueri omnino vellent.

Reposuit Societatis Generalis, privatam Molinæ causam a suis minime defendi, sed deputatum Consuetudine judicio permitti; inquirendum maxime, An auxilium Divinæ Gratiæ physice, vel moraliter prædeterminaret voluntatem; alias scilicet Molinæ Libera damnatum iri; universam demum Societatem S. Thomæ doctrinam per omnia tueri velle, ad defendere.

Dixit tertio loco Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, litem contra Molinæ Libera, ejusque defensores instructam esse; frustra que tot illa diverticula tentari, ad Controversiæ statum immutandum.

Subjuxit P. Michael Vasques, controversiam in hoc stare: *An auxilium efficax Divinæ Gratiæ physicum esset, taliterque voluntatem prædeterminaret, ut non maneret in Libero Arbitrio facultas, sive potentia ad resistendum motioni Divinæ, si vellet?*

Id oppido falsum contestatus est Alvarez; cum nemo unquam sublatam resistendi potentiam in Schola Thomistica propugnasset. Addidit, Molinam, cujus occasione mota lis erat, nullum plane auxilium efficax admisisse, quod a Deo ipso efficaciam obtineret, a Libero Arbitrii assensu minime pendulam; idque propterea, tanquam Controversiæ caput, primo eliquandum esse: tum subinde discutendum, physicane, an moralis efficacia illa dicenda veniat. Siquidem doctrinæ ratio postulabat, ut prius, an res ipsa sit, quam qualis sit, inquiretetur.

Ultimo loco dixit Christophorus Cobos, in Prædicatoribus aequè, ac in Molina propositiones Censuræ dignas observari; ac propterea in utroque aequo jure agendum.

Collationem absolvit Cardinalis Madrucci. Jussit utriusque Ordinis Generali, ut ad proximam futuram Congregationem, sequenti hebdomada celebrandam, eas de Divinæ Gratiæ efficacia propositiones afferret, quas uti certas haberet; quo mutua collatione detegi posset, qua potissimum parte dissentirent.

Die 28. Februarii 1599. ad secundam Congregationem, eandemque secundam collationem partium conveniunt apud Cardinalem Madruccium prælaudati Patres,

R. P. Generalis Ordinis Prædicatorum sex Molinæ propositiones exposuit; quibus cætera plane omnes, ab Hispaniæ Provincia Inquisitione delatæ, veluti fundamentis nitentur. Has Ordinis sui Theologis erroneas videri dixit. Tum converso sermone ad Patres Societatis, Videant, inquit, Patres Jesuitæ, qui hic adsunt, an eas veluti probabiles admittant, in totum, aut in partem, nec ne. Quia si eis censura nostra bona videretur, convenimus, & in communi omnium consensu doctrinæ P. Molinæ censurabitur: Si vero quædam ex prædictis propositionibus eis defendi posse videntur, mentem suam aperiant; quia parati veniant Patres Ordinis mei hic præsentibus ad eas argumentis impugnandas. Ex solutionibus vero, quas Patres Jesuitæ adhibebunt, & ex instantiis, quas deputati Ordinis mei facient, constabit veritas, aut falsitas, & periculum doctrinæ Patris Ludovici Molinæ. Et sic implebitur Sæc. Sanctissimæ desiderium, quo flagrat ad utriusque Religionis concordiam. Subjuxit, Theologos suos totius Ordinis nomine in hisce collationibus respondere non posse; sententiam tamen, uti privatos viros, interim prolaturos, donec Provincialiam suffragia exceperit, uti Patres Societatis exceperint.

De hisce Molinæ propositionibus sententiam dicere detreclarunt Societatis Theologi; ejusque causam dimissam omnino voluerunt.

Respondentur Prædicatores, litem in Molinam duntaxat, ejusque Defensores instructam esse.

Subjuxit Societatis Præpositus, propositiones aequè censura dignas in Banneo a suis jam pridem notatas fuisse; parumque se de Molinæ doctrinæ sententiam dicere, cum primum de his sententiam ipsi dixissent.

Respondit Prædicatorum Generalis, Molinam contra Banneum ex invidia duntaxat exposulasse, dam se ab illo, ejusque discipulis coram fidei Quæstoribus accusatum audivit; adeoque finendam prius Molinæ causam, quæ non modo sub Judice pendebat, sed & secreto judicio prædamnata erat; quam de Banneo, præpostera accusatione petito, ageretur.

Addidit ejusdem Ordinis Procurator, Prædicatores contra Molinam Atores jam pridem sterile, & accusationem ab Ecclesia receptam esse, ac tractari ceptam; nullaque proferri jura ferre, ut ea necdum judicata, reciproca, atque translata in ipsos Atores accusationis capita judicarentur. Subjuxit demum, eas meras esse Jesuitarum artes, quibus & moras nehere, & Molinæ in jus vocati conditionem immutare satagebant.

Ultimo tandem in eam sententiam itum est, Cardinalem Madruccium contentiones illas Summo Pontifici relaturum; ut quid factum esset opus, utrique parti præscriberet.

Die 4. Martii 1599. habita est Congregatio tertia Cardinalium Inquisitorum generalium coram Sanctissimo. Retulit Cardinalis Madrucci, quæ in superioribus Congregationibus contigerant. Dedit Beatissimus Pater duos alios collationis Arbitros, Cardinales Bernerius, & Bellarminum, qui una cum Madruccio colloqui capita præferrent; eaque perpendi jussit, quæ contra Molinam in Apologia Prædicatorum Hispaniæ objecta fuerant.

His ita constitutis, Cardinalis Madrucci ex ea FF. Prædicatorum Apologia octo propositiones excepit, utrique parti proponendas; ut & Molinæ doctrinæ discuteretur, & quid utraque pars de Gratiæ sentiret, aperiretur. Has Cardinalibus Afcularum, & Bellarmino tradi jussit, amborum Ordinum Generalibus communicandas; ut respon-

responsa sua ad proximam futuram Congregationem pararent.

QUÆSTIO I.

Utrum ante bonum usum Liberi Arbitrii, quem ex innata libertate homo habiturus est, ut disponatur ad justificationem, aut ad vitam æternam perveniat, ponenda sit in Deo Prædestinatio, & præscientia?

QUÆSTIO II.

Utrum, si ponatur talis Prædestinatio, vel præscientia, nulla homini libertas Arbitrii relinquatur, in actionibus, quibus ad justificationem disponitur, aut ad vitam æternam?

QUÆSTIO III.

Utrum Divina prædestinatio, & Prædestinatio sit efficiens, mediis autem efficacibus Divinæ Gratiæ auxiliis, de se & ut sunt a Deo, actuum humanorum, qui ad justificationem sunt necessarii?

QUÆSTIO IV.

Utrum aliqua auxilia sint de se efficacia ad efficiendum, quod Liberum Arbitrium consentiat: an vero ab ipso Libero Arbitrio, pro sua sola, & innata libertate, hujusmodi auxilia Gratiæ efficacia, vel inefficacia reddantur?

QUÆSTIO V.

Utrum Divina Prædestinatio sit diminuta, in effectibus, seu mediis necessariis ad justificationem, & salutem?

QUÆSTIO VI.

Utrum Prædestinatio se efficienter extendat, tanquam ad effectum, ad illum bonum usum Liberi Arbitrii, quem homo prædestinatus habet, dum auxiliis prævenientis Gratiæ se applicat, illis bene utendo?

QUÆSTIO VII.

An potius talis usus sit duntaxat præstitus a Deo, non autem prædestinatus, aut prædestinitus?

QUÆSTIO VIII.

Utrum talis usus præstitus sit ratio Prædestinationis?

Die 29. Martii 1599. ad quartam Congregationem, quæ tertia partium collatio fuit, conveniunt coram tribus Arbitris, utriusque Ordinis Generales, ac Theologi. Protinus arrepto proponendi jure, Cardinalis Bellarminus sex Questiones agendas obtulit, ab his longe diversas, quæ ad ambas partes nudius tertius transmissæ fuerant; voluitque ad illas omnino responderi.

QUÆSTIO I.

An sit necessaria intrinseca Dei, & physica Prædeterminatio, ut liberum hominis arbitrium operationem liberam moraliter bonam eliciat?

QUÆSTIO II.

An similiter, cum liberum hominis arbitrium actionem moraliter malam efficit, physice prædeterminetur a Deo ad ejus realem, & specificam entitatem?

QUÆSTIO III.

An Gratiæ præveniens, a sufficienti distincta, a se sola sit efficax, ejusque efficacia posita sit in physica voluntatis Prædeterminatione, cui humana voluntas in sensu composito dissentire non possit: an vero interiori, & congrua Dei vocatione, præsertim ex S. Augustini sententia?

QUÆSTIO IV.

An Gratiæ sufficiens sit auxilium Dei extrinsecum, an potius homini intrinsecum, & complete sufficiens ex parte actus primi antecedentis, sine alia physica Prædeterminatione?

Serpy Tom. I.

QUÆSTIO V.

An Deus non solum cognoscat infallibiliter omnia contingentia, quæ futura sunt, sed etiam quæ futura essent, his illiusve potius conditionibus.

QUÆSTIO VI.

An in potentia formaliter libera necessaria sit indifferentia, quæ, potest omnibus præteritis quilibet ex parte principii antecedentis, possit in sensu composito non operari, aut aliter operari?

Statim atque novas questiones proponi Prædicatores audierunt; his silentio prætermisissis, ad quas iussu Cardinalis Madrucci responsum paraverant, sinistrum aliquid suspicati sunt, rotumque illud a Cardinali Bellarmino concordi Jesuitarum voluntate tentatum, exitumurum; ut misso Molinæ doctrinæ examine, nova-lis moveretur, in qua non jam actores Prædicatores essent, sed pari cum Jesuitis conditione in jus vocarentur. Hæc mutua Bellarminum inter, & Jesuitas concordia suspicio in constantem, ac certam fidem evasit, dum dato Prædicatoribus eandem Propositionum exemplari, Madruccio inusurari, ut & aliud exemplar Jesuitis traderetur, responderent imprudentes, se jam illarum exemplar in sinu ferre. Id scilicet argumento fuit, quæstiones illas a Bellarmino, & Jesuitis ex condico in antecessum aptatas esse, ut & novam litem intruderent, & Prædicatores improvisos temporaneis responsonibus implicarent.

Excudit, manifestata Jesuitarum arte, Cardinalis Bernerius. Noluit Prædicatorum Generalis intemptivis Bellarmini quæstionibus ex tempore responderi; sed iis potius, quas ante dies aliquot, antiquitatis, ac Præfecturæ jure, Cardinalis Madrucci utriusque Theologis, Responsa sua paraturis, dari jussit. Noluit, neglecta Molinæ causa, novam instrui litem, qua Prædicatores, & Jesuitæ aequa sorte de doctrinæ contēderent; quamquam & illam ordine suo subinde tractari, ac desiniri, minime detreclaret.

Instituerunt Jesuitæ, ut ad Bellarmini quæstiones Prædicatores responderent; seque postmodum ad eas responsones, quas Madrucci paulo ante transmisserat. His auditis, aucta hinc inde cōtiones, nec sine murmure soluta collatio est.

Die 13. Aprilis anni 1599. habita est Congregatio quinta Cardinalium Inquisitorum generalium coram Clemente VIII. Superioris Congregationis difficultates retulit Cardinalis Madrucci. Sanxit Sanctissimus Pontifex, agendum summo jure, ad Molinæ causam eliquandam, missisque quæstionibus a Cardinali Bellarmino propositis, adigendos Jesuitas, ut ad eas responderent, quas Cardinalis Madrucci assignaverat.

Sanctissimi voluntatem sequenti die partibus denuntiavit Cardinalis ille, iussitque, ut ad octo quæstiones, nuperrime transmissas, scripto responderent. Pontificis iussis quantocius obtemperarunt, sequentibus responsonibus scripto datis.

Responsiones FF. Prædicatorum ad 8. Quæstiones Cardinalis Madrucci.

AD I. Respondetur: Ante bonum usum Liberi Arbitrii, quem ex innata libertate Arbitrii, efficaciter tamen a Deo gratuito auxilio ad hoc excitati, & moti, homo habiturus est, ut disponatur ad justificationem, & ad vitam æternam perveniat, omnis ponenda est in Deo Prædestinatio, ac præscientia.

Ad II. Resp. His in Deo positis, perfectissimè in homine relinquatur libertas Arbitrii in actionibus, quibus ad justificationem disponitur,

N

aut ad vitam æternam pervenit; cum etiam ex Divina Prædestinatione libertas Arbitrii maxime perferatur.

Ad III. Resp. Divina prædestinatio, & Prædestinatio est efficiens causa humanorum actuum, qui sunt ad justificationem necessarij, mediantibus efficacibus Divinæ Gratiæ auxiliis, quæ de se, & ut sunt a Deo, salva penitus dictorum humanorum actuum libertate, efficaciam sunt.

Ad IV. Resp. Divina hæc auxilia ita a se, & ut sunt a Deo, efficaciam habent ad efficiendum, quod Liberum Arbitrium, integra ipsius manente libertate, consentiat, ut nulla ratione ab ipso Libero Arbitrio, pro sua innata libertate illam trahant. Ex libertate tamen Arbitrii est, quod aliqua Divinæ Gratiæ auxilia effectum non fortiantur.

Ad V. Resp. Divina Prædestinatio causa perfectissima est effectuum, seu mediorum, quæ necessaria sunt ad justificationem, & salutem.

Ad VI. Resp. Divina Prædestinatio ad illum bonum usum, tanquam ad suum effectum proprium, se extendit.

Ad VII. Resp. Nedom talis bonus usus a Deo est præcitus, sed etiam prædestinatus, atque prædestinatus.

Ad VIII. Resp. Cum talis bonus usus sit Divinæ Prædestinationis effectus, ipsius ratio esse non potest.

Responsiones PP. Societatis ad easdem 8. Questiones Cardinalis Madrutii.

AD I. Resp. Ponenda est in Deo Prædestinatio, & præscientia ante bonum usum Liberi Arbitrii, quem etiam principaliter, & potissimum homo habiturus est; tamen, quando libere concurret, (quod negari non potest) certum est, minus præcipue ex innata libertate operari, ut disponatur ad justificationem, aut ad vitam æternam perveniat.

Ad II. Resp. Si ponatur talis præscientia, & Prædestinatio, homini libertas Arbitrii ad prædictas actiones relinquitur: nec de hoc dubitari potest.

Ad III. Resp. Divina Prædestinatio est efficiens actuum humanorum, qui ad justificationem sunt necessarij, mediantibus Divinæ Gratiæ auxiliis, efficacibus quidem, ut sunt a Deo, atque ita de se, ut non excludatur respectus ad Liberum Arbitrium.

Ad IV. Resp. Aliqua auxilia Gratiæ sunt prædicto modo de se efficaciam ad efficiendum, ut Liberum Arbitrium consentiat. Et quævis a Libero Arbitrio pro sola sua, & innata libertate interdum non efficaciam reddantur; tamen, sicut a se solis, & sine aliquo respectu ad Liberum Arbitrium efficaciam non sunt, ita nec a sola, & innata libertate efficaciam sunt, sed potissimum a Deo, & ex se, minus vero præcipue ex respectu ad Liberum Arbitrium, quem Gratiæ, ut voluntati congrua, comprehendit.

Ad V. Resp. Non est diminuta, sed perfectissima.

Ad VI. Resp. Sine dubio se extendit.

Ad VII. Resp. Non modo est præcitus, sed etiam prædestinatus.

Ad VIII. Resp. Talis bonus usus præcitus non est ratio Prædestinationis.

Die 23. Aprilis 1599. habita est Congregatio sexta Cardinalium Inquisitorum Generalium coram Clemente VIII. Exhibuit Cardinalis Madru-

tius datas sibi utriusque partis responsiones. Cum autem in septimæ questionis expositione Jesuitæ dixissent, bonum usum Liberi Arbitrii non modo præcitus, sed & prædestinatum esse; nec tamen de eisdem prædestinatione quidquam addidissent, iussit Beatissimus Pater, ut huic etiam difficultati satisficerent.

De hoc igitur a Cardinali Madrutio sequenti die interrogati, in scripto responderunt.

PP. Societatis.

Si vox prædestinationis in questionibus, nobis propositis, pro Divina Prædestinatione accipiatur, ut accipi videtur; quæ de Divina Prædestinatione diximus, intelligenda erunt de Divina prædestinatione, videlicet eam esse efficientem causam actuum humanorum, qui ad justificationem sunt necessarij, & boni usus liberi arbitrii, ex Prædestinatione ortum habentis. Si vero prædestinatio accipiatur pro physica Prædestinatione voluntatis ad illos actus; quemadmodum hanc physicam Prædeterminationem censens a Divinis Litteris, a Sacris Conciliis, a Sanctis Patribus, ac præsertim a S. Augustino, ab antiquis Scholasticis, a Philosophis, ac potissimum a S. Thoma, atque a Sacra Doctrina esse prorsus alienam; ita de physica prædestinatione, idem omnino existimamus.

Interrogati subinde FF. Prædicatores, quæ ratione particulam illam Prædestinatus addidissent, in hunc modum responderunt.

PP. Prædicatores.

Cum vox Prædestinationis voci Prædestinationis in propositis questionibus adjecta fuisset, eam respondentibus jure addendam putavimus, ut non modo efficaciam Dei Prædestinationis, hominem in vitam æternam ordinans, & perducens significaretur; sed etiam media efficaciam, quibus homo ille vitam ipsam consequitur, prædestinatus, ante præcognitum nostrum arbitrii bonum usum futurum, ostenderentur. Utrum vero media hæc ita prædestinata, sint tantum ex parte objecti, (quæ aliqui moralia appellant) an etiam interius a Deo immixta, & ex parte potentie, (quæ nonnulli physica dicunt); stabilita prius efficaciam Gratiæ in ratione causa moventis, nullatenus a liberi arbitrii consensu dependente, sensum nostrum, cum nobis fuerit demandatum, manifestabimus: quem ostendemus consentaneum omnino Sacris Litteris, Patribus, ac potissimum Sanctis Augustino, & Thoma.

Præter hæc, nonnulla Prædicatores animadvertent in Patrum Societatis Responsionibus: Cum enim ad partem adversam Scripta vicissim transmissa fuissent; nihil quidem Jesuitæ in Prædicatorum Responsionibus minus explicatum observarunt; sed isti e contra eorum Responsiones sequenti Censura notarunt.

Censura FF. Prædicatorum circa Responsiones Patrum Societatis.

CIRCA I. Fatemur, ponendam esse in Deo præscientiam, & Prædestinationem ante bonum usum liberi arbitrii, respectu actuum, quibus homo disponitur ad justificationem, aut ad vitam æternam pervenit: & talem bonum usum homo habet ex efficaci auxilio Gratiæ; & ad ipsum libere omnino concurret, ut causa secunda, & proxima, mota efficienter a prima.

CIR-

CIRCA II. Acceptamus ipsam, adentes, ex Divina Prædestinatione arbitrii humani libertatem mirum in modum perferi.

CIRCA III. Advertimus; quod quando dicitur, auxilia Gratiæ esse quidem efficaciam, ut sunt a Deo, atque ita de se, ut non excludatur respectus ad liberum arbitrium; hoc potest dupliciter intelligi: Primo, ut auxilium de se efficaciam includat respectum ad consensum futurum nostri arbitrii, tanquam causæ efficientis ad suum effectum; & in isto sensu verissimum est: Secundo, ita ut auxilium de se efficaciam includat respectum ad talem consensum, tanquam ad aliquid, a quo pendeat efficaciam auxilii ad movendum ipsum liberum arbitrium; & sic falsum esse, existimamus.

CIRCA IV. In eo, quod dicunt, esse aliqua auxilia Gratiæ, de se efficaciam ad efficiendum, ut liberum arbitrium consentiat, convenimus, modo circa præcedentem propositionem explicato. In eo vero, quod asserunt, aliqua auxilia Gratiæ a libero arbitrio pro sua sola, & innata libertate, interdum reddi inefficaciam; si sermo fiat de auxiliis Gratiæ sufficientis, proprie loquendo dicimus, minime reddi inefficaciam, sed ex libero arbitrio, ponente obicem, fit, ut non consequatur effectum illum, ad quem in genere suo disponebat. At si loquatur de auxiliis efficacibus, quibus movetur homo a Deo in instanti justificationis; dicimus, hæc duo simul vera esse non posse, quod v. g. Spiritus Sanctus aliquem moveat ad actum charitatis, & contritionis, & quod ipse in tales actus libere non exeat; ac subinde nunquam contingit, quod homo reddat inefficaciam auxilium, quod de se, & ut venit a Deo, est efficaciam. Quod vero demum dicunt de respectu illo Gratiæ efficaciam ad liberum arbitrium, satis citra tertiam propositionem diximus.

CAPUT VI.

Quid septima, & octava Congregatione, ac deinceps, scripto tractatum, ad unguendam e Patribus Societatis scilicet sententiam.

Die 6. Maii 1599. habita est Congregatio sexta Cardinalium Inquisitorum Generalium coram Clemente VIII. Exposuit Cardinalis Madrutius novas Censuras, seu observationes FF. Prædicatorum super Jesuitarum Responsionibus. Præcepit Sanctissimus Pontifex, ut Societatis Theologi mentem suam clarius aperirent; quo tandem dignosceretur, quibus in capitibus circa datas responsiones utriusque differret, aut convenirent.

Eam Clementis VIII. voluntatem utriusque parti denunciavit Cardinalis Madrutius, transmissis sequenti Scripto.

Scriptum Cardinalis Madrutii.

Primo: Liberum Arbitrium ad actus, quibus ad justificationem disponitur, & in vitam æternam pervenit, concurret ex innata libertate, ut causa secunda, & proxima, mota a primo efficaciam Gratiæ auxilio.

Secundo: auxilia Gratiæ Divinæ efficaciam, ut sunt a Deo, & ex se, includunt respectum ad consensum futurum liberi arbitrii, tanquam causæ efficientis ad suum effectum; non vero tanquam ad aliquid, ex quo pendeat efficaciam auxilii ad movendum ipsum liberum arbitrium.

Tertio: auxilia Gratiæ sufficientia in hoc sensu redduntur a libero arbitrio inefficaciam, Serry Tom. I.

quod ponente homine obicem per liberum arbitrium, non consequantur illum effectum, ad quem in suo genere disponebant; nunquam tamen, quod reddat inefficaciam illa auxilia, quibus movetur a Deo in instanti justificationis, cum ex se, & ut veniunt a Deo sint efficaciam.

Hæc videntur in Patrum Prædicatorum fecundis Responsionibus asserta: circa quæ non constat, in quibus Patres Societatis consentiant, vel dissentiant. Unde visum fuit expedire, ut sensus, & sententia utriusque partis per partium congressum discutatur.

Die 16. Maii 1599. ad octavam Congregationem, quæ quarta partium collatio fuit, conveniunt coram Cardinalibus Arbitris utriusque Ordinis Viri, absente tamen Societatis Generali. Interrogati Jesuitæ, an in tribus mox designatis articulis cum Prædicatoribus convenirent; sequentes propositiones una cum illis admiserunt; quas propterea ab uno utriusque Ordinis Theologo scripto excipi iussit Cardinalis Madrutius.

Propositiones ab utraque parte admisse.

Prima. Fatemur auxilium prævenientis Gratiæ efficaciam, per quod Deus facit, ut homo convertatur, & pie operetur.

Secunda. Hoc auxilium est donum Dei particulare, distinctum a sufficiente.

Tertia. Est intrinsecum tam intellectui, quam voluntati, consistens in utriusque excitatione, atque inspiratione, illuminatione intellectus, atque motione voluntatis.

Quarta. Est supernaturalis, & interius immixtum a Deo.

Quinta. Non solum se tenet ex parte objecti, sed etiam ex parte potentie.

Sexta. Fatemur, hanc motionem esse realem, & antecedentem applicationem voluntatis; moventem, & inclinantem voluntatem ad aliquid actum determinatum.

Septima. Posito auxilio prævenientis Gratiæ efficaciam, infallibiliter homo convertitur.

His summa utriusque Partis confessione admittis, ne sub speciosis Gratiæ efficaciam, & infallibiliter moventis nominibus aliqua lateret equivocatio (siquidem grandia illa nomina Molina non displicuerant, qui & efficaciam ex arbitrii consensu, & infallibilitatem ex Scientiæ-Mediæ directione suspenderat) querendum videbatur, an efficaciam illa tota esset a Deo, an partim a Libero Arbitrio? Verum, instantibus Jesuitis, agendum fuit de modo, quo efficaciam illam, & infallibilitatem Gratiæ fortitur. Propugnarent Prædicatores. Quod Deus non solum moraliter, sed etiam ut causa prima supernaturalis, per tale auxilium prædeterminat physice, seu proprie efficienter, voluntatem ad actus supernaturales, juxta modum ipsius voluntatis: & quod, posito tali auxilio efficaci ex parte Dei, infallibiliter sequitur operatio libera humani arbitrii. Nec tamen unquam adduci Jesuitæ potuerunt, ut hac in parte propriam mentem aperirent. Quare cum statuisset Domini Cardinales, rem per otium scripto aliquandam, collatio soluta est.

Die mensis ejusdem 20. ut iis Dominorum Cardinalium iussis obsequerentur Patres Societatis, sequens scriptum Card. Madrutio tradiderunt.

Scriptum Patrum Societatis circa modum efficaciam Divinæ Gratiæ.

Sequentes propositiones, quibus Patres Prædicatores ad primam questionem de efficaciam Divinæ Gratiæ respondent, a nostra sententia discrepare, putamus.

N 2

Pri-

Prima. Efficacia auxilii prævenientis consistit in qualitate, seu motione, quæ physice prædeterminat voluntatem ad consensum,

Secunda. Hæc motio, seu qualitas talis est, ut cum ejus entitate libera voluntatis dissensus conjungi non possit.

Tertia. Præter vitales excitationes, & inspirationes, quibus Deus intellectum illuminat, ac voluntatem inclinando, ac persuadendo movet, quæ ad vocationem revocantur; necessaria est alia motio physica, & non vitalis, quæ a solo Deo fit, & distincta est a gratia concomitante, in qua posita est per se efficacia divini auxilii; non vero per se in Dei vocatione, & vitalibus illis excitationibus, quæ ad eam revocantur.

Quarta. Hæc physica motio, ac Prædeterminatio necessaria est cum propter indifferentiam liberi arbitrii hominis, tum propter subordinationem causæ secundæ, quæ operari non potest, nisi sit efficaciter a prima determinata.

Quinta. Eadem motio physica, prædeterminans, est ultimum actus primi complementum, ad usum Gratiæ sufficientis prorsus necessarium; quod tamen Deus ante omnem operum prævisionem omnibus illis vult denegare, quibus illud reipsa non confert.

Has propositiones plerisque Patres Prædicatores affirmare, existimamus; has vero non affirmandas, putamus.

Die ejusdem 21. suam Prædicatores sententiam hoc de argumento proposuerunt, oblato sequenti Scripto.

Scriptum FF. Prædicatorum circa modum efficacie Divinae Gratiæ.

Primo. Efficacia Divina Gratiæ, ad actus supernaturales movens, non consistit in sola motione, se tenente ex parte proponentis obiectum per modum suadentis, quæ ab aliis quibus dicitur motio moralis; sed potissime in motione intrinseca, & reali, se tenente ex parte potentia per modum agentis, seu perficientis; quæ ab aliis dicitur motio physica, seu ad modum causæ physicae, cum qua salvatur perfecte arbitrii nostri libertas. Et hæc efficacia nullam ex parte hominis expectat, aut supponit congruitatem, sed omnem cum omnibus circumstantiis causat. Et hanc sententiam arbitramur consonam Sacris Litteris, Conciliis, ac Patribus, potissimum SS. Augustino, & Thomæ.

Secundo. Efficacia hæc pendet ab æterno, & absoluto Dei voluntatis decreto, prædeterminantis in particulari, ante prævisionem boni usus liberi arbitrii futuri, actus illos, quibus homo ad Deum convertitur, justificatur, & ad vitam æternam pervenit.

Tertio. Æternum hoc, atque absolutum suæ voluntatis decretum Deus executioni mandat in tempore, dum per auxilium efficax, seu reale influxum, in voluntate receptum, ipsam voluntatem, tanquam prima causa, determinat juxta modum suæ naturæ, ut libere, infallibiliter tamen, seipsam, tanquam causa secundæ, & proxima, determinet ad operandum, & operetur.

Quarto. Hoc itaque modo determinata voluntas non manet omnino indifferens ad actum, licet plenissime quoad potentiam. Unde, stante prædicta Dei efficaci motione, implicat in sensu composito, quod voluntas dissentiat; licet semper possit, si velit, dissentire.

Duobus illis Scriptis, ad partem adversam vicissim transmisissis a Cardinali Madrutio, nihil in Prædicatorum doctrinæ expositione minus explicarum invenerunt Jesuitæ. At non ita Prædicatores de Jesuitarum Scripto judicantur: contra quod sic in oppositum expostularunt.

Petitio FF. Prædicatorum.

Cum ab Ill., & Rev. DD. Cardinalibus in ultima Congregatione demandatum fuerit Patribus Societatis, & nobis, ut circa efficaciam Divinæ Gratiæ, ejusque modum, quid utraque Pars sentiret, per propositiones explicaret; Nos, ut par est, obediens sensum nostrum claris, apertisque propositionibus affirmativis patefecimus. Quare petimus, ut etiam Patres Societatis pari modo per propositiones affirmativas sententiam suam circa efficaciam, & efficacie modum clare, & distincte explicent. Nam in ultimis propositionibus, quas attulerunt, non, quid ipsi sentiant, dicunt, sed quid non sentiant.

Novis itaque Cardinalis Madrutii jussu obsecuti Jesuitæ, post tot illos circuitus, sequentes propositiones aliquantum explicatiores porrexerunt die 28. Maii 1599.

Scriptum Jesuitarum.

Cum in proxime præcedenti Congregatione, omnium consensu constituta essent nonnulla, quæ circa efficaciam Gratiæ prævenientis apertissima sunt, nec tamen circa modum determinationis voluntatis per eandem gratiam, & distinctionem auxilii efficaciæ, & sufficientis constitisset, quæ in re esset dissensio; Ill. Cardinalis Madrutius utrique Parti præcepit, ut proponeret ea, in quibus utraque putaret esse discrepantiam, ut tandem ex responsionibus utriusque Partis dissensio constaret.

Idcirco nos ex libris, scriptis, ac thesibus, in Hispania, & Romæ editis, collegimus quinque propositiones, in quibus PP. Prædicatores a nostra sententia discrepare putamus; ad quas cupimus, ut ipsi respondeant, an scilicet aut omnino, aut aliqua ex parte eas pro suis agnoscant, an e contra rejiciant: Nos enim eadem ratione ad eas respondimus, quæ fuerunt nobis, tanquam nostræ, proposita. Atque ita de his, in quibus dissentimus, facilius constabit: neque necesse erit in ipso congressu tempus consumere in eliciendis ex scriptis utriusque sententiæ propositionibus, de quibus inter nos minime convenire videtur.

Propositiones, quibus circa primam questionem de efficacia Gratiæ nostræ sententia continetur.

Prima. Ad pietatis opera, quibus homo disponitur ad justificationem, necessarium est auxilium prævenientis Gratiæ efficaciæ, per quod Deus facit, ut homo convertatur, & pie operetur. Quod quidem auxilium est internum, a Deo immisissum, voluntatiq; & intellectui intrinsecum, & donum peculiare, distinctum a sufficienti auxilio: nec se tenet solum ex parte obiecti, sed etiam ex parte potentia.

Secunda. Efficacia hujus auxilii non consistit in qualitate, aut motione, quæ physice prædeterminet hominis voluntatem ad consensum, aut quæ talis sit naturæ, ut cum ejus entitate voluntatis dissensus conjungi non possit: sed consistit in supernaturalibus, & congruis Dei excitationibus, & inspirationibus, quæ ad vocationem debent revocari, quibus Deus intellectum illuminat, & voluntatem inclinando, & persuadendo movet ea ratione, quæ videt ei congruere, ut vocantem non respuat.

Ter-

Tertia. Unde hæc efficacia prævenientis Gratiæ præter entitatem, & vim supernaturalem, quam a Deo accipit, necessario etiam requirit, ut tribuatur in illis circumstantiis, in quibus præcognoscit Deus, ita aptari, & congruere voluntati, ut per eam præmoveatur, sit infallibiliter præstatura consensum.

Quarta. Præter hanc Gratiæ prævenientem efficaciam, quæ in prædictis vitalibus Dei motionibus consistit, nulla alia, nec propter indifferentiam voluntatis, nec propter subordinationem causæ secundæ ad primam, requiritur motio physica, distincta a concomitante, quæ sit ultimum actus primi complementum, ad usum gratiæ sufficientis. Est tamen necessaria gratia comitans Dei adjuvantis, & cooperantis, quæ una cum libero arbitrio piam actionem eliciat, & simul cum Deo, ut causa tamen præcipua, ejus determinationem efficiat.

Quinta. Proccedit autem auxilium efficax ab æterno, & absoluto Dei voluntatis decreto, quo illos actus, quibus homo convertitur, in particulari voluit ante prævisionem boni usus absolute futuri; non tamen ante cognitionem boni usus, præcogniti futuri sub hac conditione: Si Liberum Arbitrium tali gratia talibus circumstantiis moveretur. Quod æternum decretum Deus executioni mandat in tempore, non quidem per aliquam motionem, quæ physice voluntatem prædeterminet, sed per vitales illas inspirationes, & motiones, voluntati congruas, ut consentiat, & per gratiam concomitantem, modo supra exposto.

CAPUT VII.

De Jesuitis, quasi in domestica schola doctrina exponenda minus sinceris. Prædicatores expostulant, dato scripto: cui illi scripto admodum aculeato respondent.

Necdum illam Societatis doctrinæ expositionem absolutissimam judicant FF. Prædicatores, in qua potissimum controversiæ caput silentio prætermisissimum videbatur: Num scilicet tota efficacia Gratiæ a Deo foret; an vero partim a Libero Arbitrio, uti causa illius efficiente, penderet? Sed nec Jesuitas in Cardinalis Madrutii jussu exponendis, ac referendis satis veraces, nec in agendi ratione satis sinceros, comprobarunt. Quapropter rursus in eos expostularunt die 8. Junii 1599. brevique præmissa superiorum Collationum historia, detectisque collationibus, & artibus, postularunt, ut ad quasita sincere, ac plene Congregationi satisfacerent.

Expustulatio FF. Prædicatorum hæc fuit.

Negotio illo, quod PP. Prædicatores Provincia Castellæ, Catholica doctrinæ retinendæ studio, ac zelo commoti, agebant in Hispania adversus multa contenta in Litteris P. Ludovici de Molina Societatis Jesu, potissimum in libro de CONCORDIA Gratiæ, & Liberi Arbitrii, quæ veram, sanamque doctrinam minime redolere putaverant, ad hanc Sanctam Sedem devoluta, ejusdem Sanctæ Sedis Judicium, ac definitionem cupiebamus, Quemadmodum in consimilibus, quæ ad ipsam tot annorum cursu denunciari contigit, judicare ipsa, ac definire tanta sui ipsius Majestate, tantoque Christi fidei fructu consuevit, ut ab ea, quæ veritas est Columna, & omnium Magistra, disceremus nos, dicerent omnes, an in præfati Molina doctrina quidpiam reperiretur, quod rejiciendum esset, necne?

Verumtamen a Sanctissimo D. N. hujus rei causa coram Illustris. D. Cardinali Madrutio una cum aliquibus Patribus Societatis convenire jussi, quatenus discuteretur, an una illorum, & nostra circa Gratiæ efficaciam esse posset sententia; in prima Congregatione, quæ fuit 22. Februarii hujus anni 1599. nobis prius semel, & iterum professis, non totius Prædicatorum Familiæ nomine (cujus generalia studia, & Theologi alii præcipui; temporis opportunitate concessa, fuissent consulendi) sed tantum Theologiæ Professorum, qui in Urbe essemus, congressibus illis interesse; adjicientibus, ac sæpe iterantibus, nec nobis, nec Fratribus Provincia Castellæ, (quod hæctenus intelleximus) quidquam prorsus negotii esse cum Societate, vel cum ejusdem Patribus, sed cum Scriptis duntaxat nominati Patris Molinae, & cum iis, qui ea tueri vellent, quatenus solum ea in re se ipsos defensores gererent. Respondit Illustris. Cardinalis Madrutius, S. D. N. voluntatem eo spectare, ut videretur, an inter Patres Societatis, & nos aliqua in his, quæ controverti videbantur, esse posset consensio; scire perinde eundem Sanctissimum, quid de Molinae doctrina factu esset opus; jamque negotium illius vel absolutum, vel propediem absolvendum. Quibus addebat R. P. Generalis, nec se, nec Patres illos suos, Molinam in omnibus tuendum suscipere; multa enim in illo legi, quæ nec sibi placerent. Cumque multa hinc inde dicerentur, sine Congregationi imposito, spes aliqua elucere videbatur, ut brevi tempore consistere posset, quid consensionis, quidve dissensionis inter utramque partem vereretur. Indicta sequenti Congregatione, prima quadragesima

Dominica, ultima Februarii, coram eodem Illustrissimo, his, quæ in priori dixeramus, tunc etiam a nobis repetitis, quæ proinde toto hujus tractationis cursu tanquam notissima haberentur, obtulimus quasdam propositiones, quæ de Gratiæ efficaciâ materiam omnino abolvebant: quibus Patres Societatis dicerent, an eas, ut suas omnino, vel partim, vel nullatenus agnoscerent. Ita enim facile nobis suadebamus, pium S. D. N. animum voti comperere futurum; cum circa ea, quæ potissimum controvertentur, statim videre esset, an conveniremus, necne? Contra, Patres Societatis viæ huic facilitatæ, & expeditissimæ manus neutiquam dare voluerunt; ut videlicet sensum suum nunquam aperiendo (quod illis studium perperum hac in re hucusque fuisse, ras ipsa docere videtur) negotium longius fortasse produceretur; sed occultata aliqua ratione moti, aliqua proponere moliebantur, quæ punctum efficaciam Gratiæ minime attingebant.

Quare longa concertatione de methodo procedendi habita, re infecta, terminata fuit Congregatio. Deinceps 29. Martii rursus vocati coram Illustris. D. D. Cardinalibus Madrutio, Asculano, & Bellarmino (his duobus a Sanctissimo D. N. conjudicibus eidem Illustris. Madrutio adjunctis) agentibus ipsis Illustris. ut convenientior adhiberetur modus, quo voti compos Sanctissimus fieret; videretur scilicet, an concordet in præfata materia esse possemus (si quidem sententiam nostram requirebat Pontifex, & uti consultores in hoc negotio vocabatur) Respondimus nos, quod ubi causa Molinae non agebatur, qualescunque obsequium nostrum Summo ipsi Pontifici exhiberetur eramus. Quæstiones ab ipsis Ill. proponendas postulavimus, quibus libenter respondissemus, Leguntur

int-

interim nonnullæ quæstiones, quas vix considerantes, cum ex multiplici capite, non ab ipsis Ill. sed a Patribus Societatis formatas dignoscere, illis responsum dare abnuimus; cum ea proponere, quæ definienda essent, non ad præfatos Patres, sed ad Cardinales Illustrissimos attineat.

Cum itaque Ill. Madrutius octo propositiones ex Apologia FF. Prædicatorum Provincia Castellæ sapientissime excerptisset, in quibus primaria puncta de Gratia efficaciac, ac Divina Prædestinatione contineri, videbat; nos, nec verbo quidem mutato, sed ipsis, formam propositionum referentibus, in quæstionum modum ejusdem Ill. assensu duntaxat redactis, ut nos eramus responsum, ita expectabamus quoque Patres Societatis responsuros, tanquam quæstionibus ab Ill. Madrutio propositis. Ipsi vero non respondentibus, sed suas quasdam quæstiones in medium afferentibus, tandem demandatum illis fuit, ut quid de quæstionibus illis sentirent, enuntiarent.

Quo factò, cum eorum verba varium possent admittere sensum, nos, ut quid dentum abfolute sentirent, aliquando immotesceret (ita enim debent Sanctissimo obedientiam, & optatam huic rei expeditionem parari, videbamus) ita duplicem illorum verborum sensum aperuimus, & altero repudiato, alteri adhaerentes, sperabamus, cito fore, ut quem ipsi eligerent, dignoscere. Aliter ipsis, alio spectantibus, visum est, hac scilicet, & illac circuire; libere quid sentiant, nullatenus enunciare; efficaciam Gratia totam a Deo nunquam ingenue fateri. Ita demum, aliis ultro, citroque scriptiunculis traditis, indicta Congregatione Dominicana ante Ascensionem 16. Maii, cum tres inter alias Ill. Madrutius circa jam oblata quæstiones delegisset propositiones, in quibus minime constabat, an esset inter nos consensus, efficaciac, ex parte Dei tota se tenente, adhuc non stabilita; totis pedibus transivere ipsi ad difficultatem de modo ejusdem efficaciac, a quo etiam longius citissime abeuntes, ad Prædeterminationem Dei respectu nostræ voluntatis, ac de ejusdem voluntatis sub tali Prædestinatione libertate, latissimus trium horarum sermo hiac inde habitus est. In quo tamen, nec verbo quidem, quid de his, quæ discutiebantur, ipsis aperire volentibus, ea una mens, id unum consilium propositum erat, ut a nobis aliquid vel raptim extorquere possent.

Quapropter, cum neutrius partis sensum omnino Ill. certum haberent, jusserunt, ut utriusque sententiam nostram circa ea præcipue, quæ tunc fuere agitata, sincere scriptis traderemus. Quid multa? Nos, ut par erat, per sex propositiones, quid circa efficaciam Gratia, quid circa ejusdem modum, quid circa Divinam voluntatis nostræ Prædeterminationem, & ejusdem voluntatis determinationem, ac plenam in his libertatem sustineamus, manifestissime aperuimus. Petres vero Societatis, ut nunquam sciri possit, quid sentiant, non sensum suum, sed nonnulla, quæ plerique, ut putant, FF. Prædicatores affirmant, in quinque propositionibus degerunt. Hac autem quid ad mandatum Ill. Dominorum Cardinalium? Quo factum est, ut, re cognita, impositum eis fuerit, ut quid sentirent, manifestare deberent. Quod cum faciunt, seu facere parant, proemium præmittunt, in quo minus recte dicunt, Ill. Madrutium utrique parti præcepisse, ut ea proponeret, in quibus putaretur esse discrepantia; cum solum, quid utraque pars sentiret, manifestari

demandaverit, ut a nobis superius dicebatur. Eapropter, cum ejusdem Ill. Mandatum factum, ac factum fuerit, acceperint, ex quo deinceps illationis nota utentes, quæ prius attulerant, non inconsulto allegata suadere laborent, id gratis ab ipsis effectum, non obscure dignoscitur.

Dicunt profecto, se ex libris, scriptis, ac thesibus, in Hispania, ac Romæ editis, quinque illas collegisse propositiones, quibus cupiunt, nos responsum dare. At profecti fortitan fumus, nos tueri, quæ FF. quisque Prædicatorum legat, scribat, dicat, & litterariis congressibus exponat? Et quando id proficere-mur, quid hæc faciunt ad rem, de qua modo agitur? Si cupiunt sensum nostrum, an non eum claris verbis manifestavimus? Quorum igitur aliunde ex scriptis, libris, thesibus inquirunt? Quod tamen facientes, non nostram, sed aliorum mentem indagant: quod utique in re est extra rem agere. Illi siquidem plerique, ita ab ipsis existimati, FF. Prædicatores, rationem de se ipsis reddent, si quando eos vocari contingerit. Qui enim, ut Sanctissimo D. N. morem geramus, actibus istis ut Consultores intersumus, erimus fortasse ab ipsis examinandi?

Mirari quoque satis non possumus, in eo, quod adjiciunt, se eadem ratione ad eas propositiones responsuros, quæ fuerint ipsis, tanquam suæ, propositæ; cum nos in secunda Congregatione quasdam propositiones, ex libris, & scriptis Patrum Societatis, Molinæ præcipue, excerptas, & quas publice iidem Societatis Patres defenserunt, quæ negotii summam, de quo agitur, plenissime absolvent, & oblitissimus, summo studio cum ipsis agentes, ut dicent, an tanquam suas vel omnino, vel aliqua ex parte agnoscerent, an e contra reciterent; vere intelligentes, nullam faciliorem, expeditioremque adesse viam, (quod modo & ipsi fatentur) qua optatum a Sanctissimo finem assequeremur: qui tamen id omnino tunc recusantes, nobis constantissime advertebat fuisse, sapienter dicentes, pacem, quam ipsi ex se, & ut Sanctissimo obedirent, tantopere cupiebant, hac via minime adfuturam.

At revera eorum conatus, studia, industriam totam eo tendere credimus, ut eundem Molinam, cujus se partes agere, a principio negant, cuiusque nomen, ad tempus silent, ad extremum omnino, si possunt, defendant. Jam enim ipsorum unus in postrema illa Congregatione sub die 16. Maii dixit, post rerum aliquarum discussionem ad Molinam se postea redituros; ita ut, cum nullius causa in præsentia tractari dicatur, & credatur, cernere demum sit, quæ omnia Patres Societatis moliti sunt, unus Molinæ defendendi causa egisse. Sed quid hæc ad nos, qui nullius modo causam agimus, qui nullum impugnamus, sed tantummodo uti consultores, ab Ill. nomine Sanctissimi vocati, quid in hac materia sentiamus, ingenue, sincere, & libere dicimus?

Jam vero, cum nos & propositionibus illis, circa quas congressum mutuum habendum demandaverat Ill. Cardinalis Madrutius, & his etiam, de quibus tunc voce tenuis actum fuit, ejusdem Illustrissimi mandato cumulate satisfecerimus; Patres vero Societatis quinque suis ultimis propositionibus non plene explicaverint, an tota Gratia efficaciac a Deo veniat, an potius, partim etiam pendeat a Libero Arbitrio tanquam a causa ipsis efficiente, (in quo semper

per hujus negotii partem (1) consistere, diximus) quid circa hæc, & præfatas duas propositiones sentiant, illis dicendum videtur.

Hæc dixisse volumus, ne nobismetipsis deesse videremur: quippe quibus sincere incedentibus, & tanquam Consultoribus, una obedientia ductis, sententiam nostram dicentibus, nulliusque causam agentibus, aliquid unquam detrimenti accideret; cum multa artificiose adeo a Patribus istis in dies fieri, cernamus.

Eadem ipsa die 6. Junii 1599. Cardinalis Madrutius eam FF. Prædicatorum Expositionem ad Patres Societatis transmisit, una cum infra-scripto Mandato.

Mandatum Cardinalis Madrutii.

Cum superiori mense tres Propositiones fuerint propositæ, ad hoc ut appareret in quibus Patres Societatis a secundis PP. Prædicatorum responsionibus dissiderent, & congressu nostro habito occasione dictarum propositionum, quæ postea a Patribus Societatis exhibitæ fuerunt, plures moveantur difficultates, & quæstiones; & Patres Prædicatores præcedant, nullatenus ad ulteriora progredi, nisi prius stabilio, & sufficienter discusso dogmate de Gratia efficaciac, nullatenus dependente a Libero Arbitrii consensu in ratione causæ moventis; Ideo Patribus Societatis injungitur, ad illas tres propositiones ita respondere, ut clara, & integra possit haberi ipsorum resolutio, ad hoc ut, difficultate illa superata, servente Deo, ad ulteriora progredi possimus.

Ea FF. Prædicatorum expositione vehementer exasperati Jesuitæ, amariori stilo responderunt, ut omnem e se doli, & artis suspitionem amoverent, totamque procraftinationis culpam in Auctores ipsos injicerent. Qua in re unice occupati, Mandatum Cardinalis Madrutii lepida circulatione declinavit, nihilque novi protulere, quo suam de efficaciac Gratia, a solo Deo pendente, mentem aperirent.

Responsio Patrum Societatis fuit hæc.

Optandum quidem erat, ut tempus, quod scribendis narrationibus, & libellis non adeo utiliter intersumimus, & in disceptationibus de eligenda controversia, potius in veritate indaganda, & in re ipsa excutienda utilis infunderetur. Sed quoniam placuit Reverendis Patribus, in libello oblato, hæcenus gesta, quasi historiam texendo, invertere contra nos, quos de artificijs, & fuga congressionis manifeste accusant; cum contra votis omnibus, ac etiam actis illud spectaverimus, ut sine anfractibus, & diverticulis rem ipsam attingentes, de eo revera ageremus, in quo quæ controversia est: nempe, in quo efficaciac Gratia posita sit, quid ipsa sit, quæve a sufficienti distingatur; deinde suo ordine, a quo fit: Nobis etiam necessarium fuit, breviter hoc scripto respondere, quo tamen non ad singula dicere, aut omnia consultare mens fuit, sed tantum selectis quibusdam capitibus, quibus res præcipue comprehendi videbatur, modeste, & dilucide, ut potuimus, satisfacere conati sumus.

Circa primum, quod dicunt de Censura Molinæ, nihil addendum videtur ad ea, quæ Ill. Cardinalis Madrutius in Congregatione non semel Patribus ipsis respondit, videlicet jam non agi de negotio Molinæ, nec congressum hunc ideo a Sanctissimo Domino fuisse indictum, Censuram hujus Libri demandatam esse Censoribus,

quando, & quomodo visum fuerit expedire; Sanctitatem Suam mandaturam, quod convenire judicaret; sed in hac Congregatione illud agendum esse, ut, cum apparuerit, quid ad efficaciam Gratia utrique sentiremus, ageretur de concordia, & ex disputatione appareret, in quibus conveniremus, & in quibus differiremus.

Cumque respondissent, (quod in hoc scripto iterum asserunt) nihil profus negotii ipsis esse cum Patribus Societatis, sed cum scriptis duntaxat Molinæ, & cum his, qui tueri illa vellet; idem Ill. Dominus respondit, negari non posse, inter Patres earundem Religionum vere esse hanc controversiam: quod ex Litteris Sanctitatis Sæ, ad Tribunal Inquisitionis Hispaniæ, & Nuntium Apostolicum datis, satis constat. Nec ipsi ignorant, Oratorem Catholicæ Regis jussu suæ Majestatis egisse cum Sanctissimo, ut ad tollenda scandala, quæ in Hispania oriebantur, & quæ oriri poterant, Sanctitas Sua remedium adhiberet.

Ad id, quod dicitur, Patrem Generalem Societatis dixisse, hæc se, nec sups in omnibus Molinam tuendum suscipere, verissimum est. Cum enim manifestissime appareat, omnem conatum illorum Patrum eo tendere, ut de Molinæ tantum propositionibus ageretur, & urgerent nos, an eam doctrinam, tanquam Societatis, reciperemus; responsum est, aliam esse controversiam, nec nos velle tanquam Religiosis, aut præcipuorum Doctorum doctrinam defendere omnes modos loquendi, & illationes Molinæ; sed ubi inter nos constitisset de principali controversia, fore ut facile appareret, in quibus Molina a cæterorum doctrina discederet. Quod autem ad controversiam inter Bannem, & Molinam spectat, diversa est, & inter particulares Doctores; nec ea solum continet, quæ ad controversiam generalem pertinent, de qua nunc agitur. Et ut nos parati sumus, quidquid judicabitur, non bene dictum esse a Molinæ, corrigere; ita speramus, nihil in illo reperiri, quod sanæ doctrinæ repugnet, & quod non facile possit ab iis, quæ adversus illum obijciuntur, vindicari.

Ad secundum quod dicitur de illis propositionibus, quæ absolventur, ut ipsi dicunt, omnino materiam de efficaciac Gratia, duo satis erit respondere. Alterum, illas propositiones non solum non absolvere totam materiam de efficaciac Gratia, sed ne attingere quidem difficultatem, quæ præcipue est controversia. Secundum, illas propositiones sere excerptas esse ex Censuris ipsorum Patrum contra Molinam, ac eos id agere, ut tandem res tota devolveretur ad quæstiones Molinæ; quod alienum erat à mente Sanctissimi, & instituta Congregatione. Proinde, non ut negotium produceretur, sed ut compendio quam citissime abolveretur, quæstiones extraneas, & a suscepto negotio alienas devitandas, arbitramur.

Quod autem optaverimus semper, ut ad rem propius accedentes panctum difficultatis de efficaciac Gratia examinarem, non multis verbis opus est, cum omnia gesta sint coram Ill. Madrutio; nec tantum verbis, sed scriptis, & rebus ipsis voluntatem nostram, & desiderium rem perficendi ostenderit. Novit Illustrissimus, quid voce dixerimus, optare nos ut Patres Dominicani aperirent suam sententiam, sicut & nos fecimus, & faciemus: sed multis modis desilabant; nunc quidem asserentes non posse explicare sententiam Religionis, quia essent

con-

(1) f. Ad. præcipuam.

consulendi Doctores variarum Provinciarum ; nunc se esse imparatos, nec posse ex tempore respondere ; nunc inter nos non esse controversiam ; & tandem aperte dixere, se nolle suam sententiam aperire ; non enim velle, ut ex Actoribus rei Berent, nec permittere, ut examinarentur. Hæc autem coram omnibus gesta sunt, ipsi Ill. Præside. Quæ cum ita sint, non est difficile judicare, quis subterfugiat, suam sententiam aperire. Meminerit etiam Ill. Madrutius (nec ipsi, ut opinamur, id negabunt) cum ageretur de methodo tractandi, Patrem Generalem Societatis id proposuisse: videri expeditissimam rationem fore, si utraque pars brevi scripto comprehenderet dilucide, & sine citationibus suam sententiam; deinde separatim contrariam sententiam, quam improbabat; tertio rationes, quibus contrariam minime probaret. Id cum Illustrissimo placuisset, sequenti Congregatione tria hæc scripta detulimus; & cum Patres Prædicatores idem facere plurimis difficultatibus detrectarent; nos promptissime illa Illustrissimo exhibuimus, addentes tamen, & orantes, ne illis darentur nostra, si sua exhibere recusarent. Quod vero sæpius inculcant Patres, se esse vocatos, ut Consultores; vocentur quidem ita, si placet, modo tamen de sua, non de aliena sententia quæstio sit. Nam cum Illustrissimus velit ut videamus, in quibus consentiamus, & dissentiamus, ut inter nos possit esse consensus; hoc fieri non potest, nisi propria opinio proferatur. Sed cavent diligenter, ne rei sint, vel examinentur. Nos autem facile nostram sententiam proferimus, ut illa examinetur, & rationibus, atque auctoritatibus agatur, ut constet, quid verius sit, magisque consonum sacris Conciliis, & doctrinæ SS. Patrum.

Quod vero dicunt, quæstiones nonnullas propositas formatas a nobis, ac prorsus se respondere noluisset; cum ea proponere, quæ delinquenda essent, non ad Patres, sed ad Cardinales attineat; Respondemus nos, qui rei exitum brevem, & pacificam expeditionem intuebamur, proposuisse illas quæstiones, quibus si responderetur, facile de re tota iudicium fieri potuisset; paratos, ut semper diximus, idem præstare, respondentes quæstionibus, quas ipsi proponere voluissent. Neque hoc mirum videri debet; nam cum agatur, ut id constet, in quo sit difficultas, & controversia inter nos, id non potest ab aliis, quam ab ipsis patribus proponi. Ab ipsis tamen Illustrissimis propositæ fuerunt, tanquam de quibus esse suscipienda disputatio; sed rejectæ fuerunt a Patribus Dominicis hoc nomine, ut ipsi aperte dixerunt, quia nimis stricte rem attingebant: Quod an sit hominum, qui rem propriam attingere velint, Illustrissimi, ut prudentes judicabunt.

Est autem verum, quod dicunt, primum nos propositionibus illis non respondisse: sed non respondendi ea tantum, & quidem iusta, causa fuit, quod æquum non videbatur, cogi nos illorum propositionibus respondere, nisi ipsam respondentem nostris, quæ ad rem ipsam propius accedebant. Quare posteaquam polliciti sunt, se deinde iis, quæ a nobis proponebantur, satis facturos, omnibus eorum propositionibus cumulate satisfecimus.

Varis autem sensibus, quos in nostris responsionibus distinxerunt, necessarium non duximus, scripto respondere: tum quia satis per se ipsæ datæ erant responsiones nostræ, & satis apparebat, quem sensum facerent; tum quia non deerat ratio suspicandi, tot ultro citroque missas responsiones eo spectare, ut res longius differre-

tur. Satis ergo duximus, ab Illustrissimo Madrutio petere (quod instant fecimus) ut Congregatio quamprimum haberetur, in qua facilius, ac melius, quid utrinque dubium esset, aperiretur; & præcisè plurimis, quæ nimis remota, & omnino superflua videbantur, statim ad rem ipsam veniretur. Ex quo apparet, utrum esset nobis alia mens, quam ut quamprimum res tota perageretur. Ill. Madrutius iussit, nos scribere rationes, quas ad hoc asserabamus scripsimus: probavit: Congregationem indixit tres ad nos propositiones misit, ut in ea Congregatione constare posset, in quibus conveniremus, & dissentiremus. Quid vero in ea Congregatione actum sit, dicemus puncto sexto.

Quod vero ajunt, minus recte fuisse dictum, Ill. Madrutium utrique parti præcepisse, ut ea proponeret, in quibus putaretur esse discrepantia; cum solum manifestari demandaverit, quid utraque pars sentiret: Respondetur primo, revera Illustrissimum id dixisse, quamvis forte id religiosi Patres non intellexerint: sed quamvis id non dixisset expresse, apparet tamen, ad finem consequendum, propter quem utriusque partis sententia exigebatur, id necessarium fuisse. Certe enim non ob aliud id requirebatur, nisi ut examinaretur, in quo conveniremus, aut dissentiremus; quo posset tandem & difficultas examinari, & operata concordia obtineri. Nec id bonis Patribus grave esse debet: cum eodem scripto dixerimus, ut idem ipsi circa nostræ præstarent, quod nos circa ipsorum: quo nihil æquius proponi potuit.

Sed tanquam incommodum, & alienum a subiecto negotio improbat, nos aliquot propositiones, e Theologis, & scriptis Theologorum, aliquot illius Religionis excerptas, proposuisse: *Ac si (inquit) professi essent, nos tuet, quæ FF. quæque Prædicatores legat, scribat, dicat. Et literarum congressibus exponat. Et quæ do id profiterentur, quid faciant hæc ad rem, de qua modo agitur? Respondemus, multum per omnem modum, immo quidquid agitur extra hoc, nihil ad rem, de qua modo agitur. Quæ si vero aliud agatur, quam ut inter Theologos Hispanos Ordinis Prædicatorum, & Societatis hostes, de proposita controversia & appareat dissentio, & curetur consensus. Et certe qui hoc infirmit, totam Sanctissimi iustitiam, Illustrissimorum Cardinalium diligentiam, eorumque præscripta delatant, & evanescunt. Quorsum enim isti Conventus? Quorsum disputationes, si Patres isti, qui Romæ sunt, nolunt, examinari doctrinam eorum Theologorum in Hispania, cum quibus tamen esse controversiam, & supra probatum est apertissime, & in Hispania plusquam notum. Quæ si est, ut manifesta est; quorum theses, vel quorum scripta adducenda erant, nisi eorum, cum quibus erat controversia? Sed videlicet id agunt, ut perissent in sua prima definitione, Nullam scilicet esse controversiam inter nos, se necesse quid sentiant Theologi suæ Religionis; & huiusmodi plura, quæ hominum sunt declamantia, & conatus Sanctissimi (ut diximus) quod in se est, irritos, & inanes reddentium. Quod si admitatur, quod dicunt, ut illi Theologi, & Prædicatores, qui ista dicunt, reddant pro se rationem, quid frustra convenimus?*

Ceterum quod dicunt, se satis mirari non posse, dum offerimus, responsuros nos propositionibus, ab ipsis Patribus proponendis, tanquam nostris; cum iis; quas proposuerunt in secunda Congregatione, respondere recusaverimus:

mus: jam supra responsum est, cum diximus, illas omnes propositiones excerptas esse ex Centis, furis contra Molinam; neque ad hoc utilem esse, se quæstionem: quia verissimum erat, quod & ipsi referunt, pacem, quæ inter nos optabatur, hac via minime adfuturam. Quibus tamen postea respondimus.

Illud vero, quod humiliter, & bona cum venia tantorum Patrum, dictum volumus, non potest non grave videri, quod de intentione agitur, ubi dicunt gravissimis verbis, nostros conatus, studia, industrias totam eo tendere, ut Molinam defendamus; cujus defendendi si ea fuisset mens, expeditissima erat via, si propositionibus ipsius propositis responderemus, easque tueremur. Quare cum de iis agere noluissemus; id potissimum agebamus, ut contra, ommissis disputationibus de Molina, rem ipsam, de qua erat controversia, attingeremus.

Postremo quod dicunt, se cumulate satisfecisse & tribus propositionibus, circa quas congressum habendum Illustrissimus demandaverat, & iis etiam, de quibus tunc voce tenus actum fuit, hoc certe non apparet, quomodo fieri poterit.

Postquam enim coram Illustrissimis convenimus, de prima propositione disputari coeptum est: & quoniam circa illam quædam scripseramus, in quibus putabamus, eos a nobis non dissentire, legimus, & obtulimus describenda; v. g. Dari auxilium efficax, præveniens, supernaturale, intrinsecum, tenens se non solum ex parte objecti, sed etiam ex parte potentie, distinctum a sufficienti. Quibus auditis, R. P. Generalis S. Dominici, Si, inquit, Molina hæc omnia concessisset, nihil plane habuissent Patres nostri in Hispania quod in eo reprehenderent. Quod ultro dabat, nos libenter acceperimus, respondimusque, gaudere nos nihil contra Molinam illos habituros, si ostenderimus (quod suo loco facillimum erit) omnes illas propositiones discretis verbis a Molina concedi. Deinde ulterius progressa est disputatio, quæ eo spectabat, ut eliceretur, quid tandem illud esset

quo auxilium efficax differret a sufficienti? Et quoniam Patres Dominicani nihil interrogabant, illud proposuimus: Utrum ratio auxilii efficacis consisteret in physica Prædeterminatione voluntatis, ut hæcenus docuerunt. Dum huic propositioni respondent, tres fere horæ elabuntur: nec tamen ex eorum dictis quidquam certi colligi potuit, in quo vel a nobis differrent, vel inter se convenirent. Non enim omnes videbantur velle admittere physicam hanc Prædeterminationem; & eorum, qui eam admitterebant, unus affirmabat, ea tolli aliquam indifferentiam, alius negabat. Nobis autem propositum non erat, illis interrogationibus aut eos examinare, aut contra eorum dicta argumentari, sed solum esse eorum verbis sensum aliquem colligere, aut certo aliquid statuere, de quo deinde disputare possemus. Quare cum in iis, quæ ad primam eorum propositionem attingebant, (quæ erat: an sit & quid sit Gratia efficax) ipsi inter se non convenirent; progredi non potuimus ad reliquas propositiones discutendas, in quibus agebatur de causa efficacis: an esset tota a Deo, necne. Quod si toto Congregationis tempore nihil de Gratia efficacis, in quo sita sit, a nobis percontari voluerunt; non est profecto, cur conquerantur, nos nihil illis respondisse. Et cum ipsimet consenserint, ut disputaretur, an efficacia Gratia posita sit in Prædeterminatione, & ratione illius distinguatur ab auxiliorum sufficientia; cur dicunt, Serry Tom. I.

nos totis pedibus transivisse ad difficultatem de modo efficacis, & ab ea longius citissime abeuntes, ad Prædeterminationem confugisse; cum tamen, ut dictum est, communi consensu de ea agi coeptum sit, tanquam de difficultate, e re ipsa nata, & apertissima ad distinguendum auxilium efficax a sufficiente? Quod autem addunt, Eam nobis unam mentem, id unum consilium propositum fuisse, ut ab illis aliquid vel rapim extorquere possemus: qua ratione dici possit, non videmus; siquidem non una, aut altera propositio illis excidit, quæ merito notari potuisset, v. g. Ad motionem Gratia efficacis voluntatem se habere passivè, sed liberè; & alia, nihil hæc meliores; quas tamen omnes nos non animadverti, ac libere transire, passi sumus.

Putamus autem, quod attinet ad efficaciam Gratia, & respectum ad liberum arbitrium, nos satis dilucide respondisse, cum scripto responderemus quartæ propositioni ex octo propositis; in qua diximus, Auxilia Gratia prævenientis esse efficacis potissimum a Deo, & ex se; minus vero præcipue, ex respectu ad liberum arbitrium, quem Gratia, ut voluntati congrua, comprehendit, Quod si aliquid amplius declarari desiderant; petant, & libentissime faciamus, quod illis faciendum esset circa physicam Prædeterminationem; An in ea posita sit efficacia Gratia: in quo est tota controversia. Nam plures alia quæstiones vel ad rem non pertinent, vel ab hac una pendent, ita ut, hæc constituta, facile cætera omnes judicentur.

Hæc autem sunt nostra artificia, nostraque molitiones, quibus per circuitus, & anfractus quarimus subterfugere. Sed utinam Satanas astutia non esset hæc in re magis omnibus perimiscenda. Is enim, ut pacis inimicus, diffensionum, & scandalorum auctor & seminari, id unum molitur, ut cum Ecclesia detrimentum, & hæreticorum gaudium, inter has duas Religionis contentiones, & amulationes perseverent, & sub specie doctrinæ, & zeli scandala oriuntur: cuius conatibus absit, ut nos cooperemur. Curat enim, ut quasi exasperatis animis, vel ex desperatione consequenda unionis, & ex amaritudine dictorum, & timore majoris diffensionis, res tota dissolvatur, ut eo relabamur tandem, ut Bannes Molinam, Molina Bannem, & cæteri cæteros carpan, & acculent. Quod an sit ex mente Sanctissimi, & pro Dei gloria, prudentia Illustrissimorum facile viderit. Nos certe pro bono pacis, cum veritas indagatur, nec rei dici, nec examinari refugimus; scientes, Apostolum dixisse, Paratos nos semper esse debere ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, fide. Et si quid minus clare hæcenus diximus, (quod non putamus) iterum, & sæpius voce, & scripto explicare parati sumus; ut ad rem citius veniamus; modo simul curramus ad veritatem investigandam, ad gloriam, & laudem Sancti Spiritus, qui est Spiritus veritatis, & pacis.

CAPUT VIII.

In emungenda Societatis Theologorum sententia diu allaborat Cardinalis Madrutius; Partis utriusque descriptiones excipit, ac demum, absoluto mutua colationis examine, morti occumbit.

Societatis responsum indigne tulit Cardinalis Madrutius; quod quæstionibus de Divina Gratia efficacis, sibi ante dies aliquot designatis, O. stu-

studiose dimissis, peregrina diverticula querita-
sent, ut omnem a se machinationis suspitionem
avertent, & in Prædicatores regerent culpam
omnem. Quare, ne ulla deinceps tergiverfandi eis
causa suppeteret, quæstiones alteras & pauciores
numero, & sensu explicatores, tum illis, tum
etiam Prædicatoribus dedit, ut suam de modo
efficaciæ mentem distinctius, & eliquatius ape-
rent.

I. An tota efficacia auxilii prævenientis Gratiæ
sit a Deo, tanquam a sola, totali, & proprie effi-
cienti causa: atque ita tale auxilium dicatur, &
sit vere, & complete efficax de se, & ut est præ-
cise a Deo?

II. An potius ista efficacia sit a Deo, & a
consensu Liberi Arbitrii, tanquam a duabus causis
proprie efficientibus? Et consequenter, an in Li-
beri Arbitrii potestate situm sit, prævenientis Gra-
tiæ auxilia reddere proprie efficacia, vel ineffi-
cacia?

III. Denique an, postea auxilio prævenientis Gra-
tiæ, & vere, & proprie efficax, sit simul cum
illo actualis dissensus Liberi Arbitrii?

Iis exemplo Prædicatores hac ipsa die respon-
derunt brevi, atque explicatissimo rescripto, ut
nihil in eorum internoscenda sententia desiderari
ultra posset. Fuerunt hæc illorum responsa, Cardi-
nali Madruio scripto tradita.

Ad quæstiones propositas ab Ill. D. Respondemus,
sicut jam sæpe clare, & resolute satisfacimus, hoc
modo videlicet.

Ad I. Tota efficacia auxilii prævenientis Divi-
ne Gratiæ, que facit, ut nostrum arbitrium, ab
eadem excitatum, libere consentiat, est a Deo,
tanquam a sola, totali, & proprie efficienti cau-
sa. Atque ita huiusmodi auxilium divinum dicitur,
& est vere efficax de se, & ut proprie est a
Deo.

Ad II. quare efficacia hæc non est a Deo, & a
consensu Liberi Arbitrii, tanquam a duabus causis
proprie efficientibus. Siquidem consensus ille Libe-
ri Arbitrii, tantum abest, ut causa sit vere effi-
cientis efficaciæ Divini auxilii, quin potius est ipsius
effectus. Et quamvis possit Liberi Arbitrii auxi-
liis Divinæ Gratiæ efficacibus obicem ponere; si ta-
men ipsi de facto excitetur, ea nunquam reddet ineffi-
cacia: quemadmodum neque efficacia reddet aliquan-
do ea auxilia, que, ut veniunt a Deo, efficaciam
secum non ferunt.

Ad III. Postea tali auxilio prævenientis Gratiæ,
vere, & proprie efficax nunquam stat cum illo actuali
dissensus Liberi Arbitrii; quamvis semper Libe-
ri Arbitrii possit dissentire, si velit.

Trahendis moris, ac diverticulis pro more suo
queritandis assueti Jesuitæ, transacto duntaxat
mense, ad hæc tr. interrogata responderunt die
5. Augusti 1599. scripto, aliquantulum prolixio-
ri. Hoc ipsum Prædicatores, quibus ex Cardi-
nali Madruio iussu datum est, nonnullis observa-
tionibus confutarunt; quas vicissim Societatis Theo-
logi novis annotationibus impugnarunt die 17.
Novembris. Has rursus novis annotationibus ela-
boratis Prædicatores vellicare aggressi sunt die 12.
Februarii anni sequentis 1600. quibus cum Socie-
tatis Theologi denuo respondissent; Prædicatori-
bus, ultimo conatu repentibus, mutua partium
collatio soluta est; nulla tamen eas inter inita
concordia. Quid utrique sentirent, in aperto
fuit; nemo tamen in alterius sententiam venit,
aut pristinus sensus exiit: quod eventurum dubio
procul, ominati erant, quotquot ambarum
partium in domesticis servandis finibus studium
noverant.

(1) In Histor. Societ. lib. 6. n. 19.

Tot illa ultro, citroque data Rescripta, ne lecto-
rem plus nimio defatigemus, in Appendicem mi-
simus, ubi, si per otium licet, legi commodius
poterunt.

Interea consummato mutua collationis exami-
ne, quod ad neclendas interim moras, effugien-
dumque iudicium, Ignatianæ partis Actores tanto
studio efflagitaverant; nihil nisi Pontificiæ Con-
stitutionis sigillum desiderabatur, qua definiti jam
pridem Censuram examinis sententia sanciretur.
Hanc Catholicus Rex efficacissimis Epistolis, ab
Oratore suo die 16. Aprilis Clementi VIII. Ma-
datis, maturari; postulaverat: hanc viri omnes bo-
ni ardentissimis votis efflagitabant: hanc Ecclesia
ipsa, intestino bello discissa, non tam voce, quam
gemitu deprecari videbatur; cum Eminentissimus
Cardinalis Madruus, huiusce causæ sequenter, in-
tempeltiva morte sublati est die 20. Aprilis 1600.,
quo tempore Aëlorum omnium feriem Summo
Pontifici relaturus erat.

Non hæc una virorum litteratorum factura fuit,
Quem illi & veritatis vindicem, & mularum Ma-
cenatem lugebant, hunc parentem pauperes deplora-
bant, quos & statis diebus commensales excipie-
bat, & effusissima omnium pene censum largitio-
ne solabatur.

Codices suos, diuturno studio, dum esset col-
lationis Arbitrator, elaboratos, propriaque manu de-
scriptos, Summo Pontifici moriens tradi iussit,
sux de controversis quæstionibus mentis interpre-
tes. Illos summa animi voluptate perlegit Bea-
tissimus Pater, tantique fecit, ac probavit, una
ut omnium fama fuerit, hac illum lectione potis-
simum incitatum ad Molinæ damnationem pro-
nuntiandam.

Reum me in Republicam litterariam facerem,
si cum eos non femel evolverim, nihil horum
proferrem in publicum; quo tanti Viri sententia
de controversis quæstionibus detegi possit. Faciet
id statuenda, ac firmanda veritati non mini-
mum. Faceissent inanes illæ Ripaldæ, aliorumque
fabulæ, qui Prædicatores de physica Prædetermi-
natione doctrinam, hoc in congressu agris auri-
bus exceptam; Societatisque sententiam, sine fu-
co, sine arte a Theologis ejus expositam, effu-
tiunt. Evanescent tritæ illæ obmurmurantium vo-
ces, quibus Gratiæ ex se, & ab intrinseco effi-
cacem, in Calvinianis, & Lutheranis a Concilio
Tridentino prædænnatam oblatrant. Quis etenim
Concilii Tridentini mentem feliciter ebiberat, acu-
tius internoverat tanto Viro, qui & Tridentinus
Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, in eodem Ju-
dex, & Arbitrator federat? Quis eo in Societatem
(nisi ubi veritatis tuenda studium operat) propen-
sor, qui Theologos ejus maximis in Concilio
Tridentino benevolentie significationibus fo-
verat, Orlandino ipso Teste; (1) qui ea ferite
oriundus erat, que Societatem unice diligeret; eo-
que demum Patro fuerat institutus, quem Pa-
tronum ubique munificentissimum Jesuitæ experti
sunt?

Ex iis porro Codicibus, qui toti in Thomisti-
cæ Scholæ gratiam, adversus Societatis doctrinam,
adornati sunt, pauca seligam, in Appendicem re-
ferenda, ex quibus, velut ex ungue, leonem di-
scere liceat. Qui plura volet, fontem attingat.
Exstant in Angelica Augustinienis Bibliotheca,
integro, eoque spisso fasciculo alligati, propria
Eminentissimi Viri manu exarati, cum hac præ-
missa Gregorii Coronelli epigraphæ: *Hæc omnia
scripta, spectant ad causam Controversiæ, exortæ in-
ter Patres Dominicanos, & Patres Societatis: ex
quibus facile potest constare, quod fuerit hæc de re
ju-*

judicium Ill. & Rev. D. Ludovici Madruis, S. R.
E. Cardinalis.

CAPUT IX.

Moruo Cardinali Madruio, Summo Pontificem
a ferenda sententia deterrere moluntur
Jesuitæ.

Quam Patres Societatis in mutuo congressu
fidem dederant, Molinam indelesum Cen-
sorum iudicio dimittendi, hanc, defun-
cto Madruio, protinus violarunt. (1) Vix Catho-
lici Regis supplicationes Clementi VIII. per
Ducem de Sessa Oratorem ejus oblatas, quibus
Apostolicam definitionem maturari rogaverat, in-
ternoverunt; cum protinus novas machinas sollicitè
tentarunt, ut Sanctitatem Suam a proposito di-
moverent. Libellum supplicem obtulere die 22.
Aprilis, quo Molinæ doctrinam, uti S. Augusti-
no consonam, cæteris Theologis communem, ab
Academia Complutensi probatam, ac debellandis
Calvinistis, & Lutheranis accommodatissimam præ-
dicabant. Auctorem per sese audiendum, consu-
lendas totius Orbis Academiæ, quin etiam Con-
cilium generale indicendum, atque interim utrius-
que partis doctrinam, tanquam probabilem, per-
mittendam postulabant. Alias timendum innuebant,
ne Pontificiam definitionem Academiæ parvi fa-
cerent, novoque discrimini Ecclesia committe-
retur.

Sic suam illi causam agebant, porrecto Libel-
lo supplici, quem nos hic Latinis auribus dan-
tus.

BEATISSIME PATER,

(2) Significavit nobis Cardinalis Bellarminus
instantes Hispaniæ preces, Sanctitati Vestræ na-
per oblatas pro maturanda, atque vulganda Mo-
linæ Censurâ; quod magna ex eo Libro in-
commoda, ac dissidia in dies acciderent, non
sine sanæ doctrinæ periculo. Verum cum Au-
ctor, vir utriusque Catholicus, ac huic S. Sedis
in primis obediens, audiri per se, postularit;
ut vel objecta dilueret, vel mentem, ubi opus
esset, aperiret; nec tamen ullus e Societate la-
tas Censuras obtinuerit, tamen non semel ab
Cardinali felicis memoriæ Ludovico Madruio
per Generalem nostram postulas: de Sancti-
tatis Vestræ benignitate sperare licet, ut pro
more, in scriptores Catholicos, atque in vivis
degentes, servari solito, si quid forte emen-
dandum occurreret, id ab ipso Auctore emen-
dari, permittat. Interea, ut certo norit San-
ctitas Vestrâ, nolle nos de industria moras ne-
scire, uti nonnulli insufurrant; sincera, & in-
tegra fide proponemus, quid factò videretur
opus, ut res brevi confici posset.

Quocirca in memoriam revocandum Sancti-
tati Vestræ, RR. PP. Dominicanos ratos, se
plausum facilius affecturos, si Controversiæ ca-
put, quo eorum Theologi bene multi cum no-
stris committuntur, declinant, eo perpetuo
se contulisse, ut dicerent, nihil sibi cum nobis
esse, sed cum unico Ludovico Molina. Qua
de re Sanctitas Vestra certior facta est, uti eis
Cardinalis Madruus significavit; ac demum
ex mutua Collatione, Sanctitatis Vestræ iussu
habita, & scriptis ultro, citroque datis, in
rem indubitata abiit. Jam vero cum passim
in Hispania, Polonia, aliisque ultra montes
Regionibus vulgarent, Societatis doctrinam in
Serry Tom. I.

uno Molina damnatam esse; id in præsentia
admituntur, ut vel minimo saltem titulo, levi-
que Censura in Molinam ferenda, id demum
obteneant, quod optabant; ac per speciem pri-
vari duntaxat auctoris proferendi, in gravissimis
mos simul Theologos, ac etiam Academiæ
damnationem extorqueant; quandoquidem asser-
tionem in scriptore aliquo male sanam, talem
ubivis esse, necesse est.

Cum itaque, Beatissime Pater, ex ipsa illo-
rum professione (cujus & fidem facit Patris
de Avila nuper editus liber) certo constet,
Molinianæ doctrinæ summam, & fundamenta
nihil a præfatorum Theologorum sententia dif-
ferre; consequens profecto est, integrum de Li-
bro Molinæ iudicium ferri non posse, nisi prius
commune doctrinæ caput expeditum fuerit. Id
porro cum a multis, iisque gravissimis aucto-
ribus Ultramontanis excipiat, uti hæreticis
& diametro magis oppositum, ac decretis Sac-
ræ Synodi Tridentinæ magis consonum; in-
telligit dubio procul, pro summa sua pruden-
tia, Sanctitas Vestra, difficile admodum, octo
duntaxat, aut decem Theologorum auditu suf-
fragio, definiti illud posse, nisi etiam Catho-
licarum omnium Academiarum iudicia exigantur.
Quippe res, in controversiam vocata,
talis, tantaque est, ut dignam eam nonnulli
iudicent, quæ in Generali Concilio pertracte-
tur; ut & nos eam in Concilio Tridentino
pertractatam existimamus.

Ut ergo compendio rem agamus, tria in
Molinæ libro fecerimus. Primum, doctrinæ
summam, in quo scilicet sita sit efficacia Di-
vinæ Gratiæ, quove pacto voluntatem moveat:
quo capite, nihil eum a laudatis Theologis dif-
ferre, existimamus. Alterum, nonnulla inde
derivata consuetaria, cæteris forte minus com-
munia, quibus ea sententia probatur. Tertium,
nonnullas loquendi rationes, minus forte in D.
Augustinum, ac D. Thomam reverentes, quæ
que nimiam arrogantiam, ac sui de inventa ni-
tidiore doctrinæ expositione iactantiam indica-
rent. Porro, eliquato semel Controversiæ ca-
pite, quod illi cum cæteris commune est, cæ-
tera duo nullo negotio componi possent; quan-
doquidem nedum Censores, sed & nos ipsi ad
ea limanda, ac temperanda, que forte offensa-
ni essent, curam nostram, & operam impende-
remus. Hanc si deputari Censores iudicii ra-
tionem ex Sanctitatis Vestræ mandato ineant;
ut, sua doctrinæ capiti probabilitate ad judica-
ta, (uti Sanctitas Vestra in Hispania præscri-
psit) sententiam demum ferant, qua parte ab-
erret, aut minus statuta doctrinæ hæreat, res
tota brevi ad exitum perducetur: siquidem aut
pauca supererunt, aut hæc levioris momenti,
queis castigandis, ac temperandis, facilem se
præbebit Auctor ipse, aliis usurpatis loquendi
rationibus.

Id vero pro certo habeat Sanctitas Vestra,
fore ut, vocatis tandem ad crismum S. Augusti-
ni, & S. Thomæ testimoniis, innotescat, non
ita illos Prædicatorum sententia adfavere; ta-
meti eorum sibi propitia nomina sæpius otten-
tent: quod eruditè satis, & aperte a Suarezio
demonstratum, arbitramur. Neque id disum
temere: quippe qui, quod attinet Augustinum,
Complutensis Academiæ suffragium habemus,
Apostolici Nuncii iussu datum, quo id ipsum
diserte significatur: quod spectat D. Thomam,
Prædeterminationis vocem, maxime vero physi-
cæ vocabulo adjunctam, nusquam apud illum
O 2

(1) Ex Actis Secret. & 5. Relat. Pag. (2) Ex Italico Latina redditur.